

penfationem temporalem exigere, vel pacifici; confequenter fi nihilo minus facti, pro ipfo Beneficio, feu jure speciali temporale exigat, ficque Simoniam committit.

31 Et per hoc patet ad fundamentum Adversario- rum, qui paritatem in utroque casu extorque- re nituntur. Sunt etiam qui putant, exigi posse compensationem temporalem non pro excessu, qui remanet annexus ipsi titulo, sed incommodo tempo- rali, quod quis subit, spoliando se majoribus redditibus futuris, & spe illorum. Sed contra est, quod futuri majores redditus, & spes eorundem percipiendi habeant dependentiam, & connexionem ad Beneficium, cum sint accessorium Beneficii; unde urget illud can. *Si quis objecerit. caus. 1. q. 3. Quis- quis horum alterum vendit, sine quo nec alterum pro- venit, neutrum inventum derelinquit.*

32 Confirmatur Conclusio, & responsio nostra: si, uti volunt Adversarii, Beneficium, possessum, vel possidendum quoad titulum potest separari à redditibus, sequitur manifestè, quod possit quis Beneficium suum vendere; vel pro eo aliquid tempo- rale accipere; si nempe dicat; Beneficium, seu jus spirituale tibi gratis tribuo; pro redditibus verò, seu feo illorum, vel pro incommodo temporali, quod subeo, spoliando me futuris redditibus, exi- go tantam quantitatem pecunie &c. atque hoc jux- ta omnes etiam Adversarios Simoniacum est; er- go. Sequeretur item, quod idem facere possent Col- latores Beneficiorum, dicendo Beneficium se gra- tis conferre, pro redditibus verò utpote separabili- bus in sententia Adversario- rum, tanquam pro emolumento temporali, quod conferre tibi non teneret, peto compensationem temporalem, quod rursus si- moniacum, & ab Alexandro VII. An. 1665. dam- natum est; dum inter alias etiam sequentem ordine 22. propositionem damnavit. *Non est contra justitiam, Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecu- nia interveniente, non exigit illam pro collatione Bene- ficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

33 Ceterum predictis non obstantibus potest au- thoritate Episcopi constitui pensio solvenda illi, qui permutando pinguis Beneficium dimittit, non quidem pro compensatione excessus, ob rationem jam dictam, sed ob aliam causam justam & rationa- bilem, v. g. quia fit commutatio ob bonum commu- ne, aut bonum pacis privatæ, aut quia pensionem præterens est infirmus, vel ætate decrepatus. Bar- bosa *loc. cit. n. 3.* Navarrus de *Simon. consil. 43. nu. 3.* Piassec. *in praxi Episc. p. 2. cap. 5. nu. 125.* Engel. *h. t. nu. 4.* & alii. Vide quæ de pensionibus diximus supra Tit. XII. *Ut Beneficia Ecclesiastica sine dimi- nuat. §. 4. per totum.*

34 Quæritur VII. Quinam permutare possint? Resp. I. Permutationem rerum temporalium facere possunt omnes, qui à natura, vel à Jure specialiter non prohibentur. Communis ac certa; quia in ma- teria communiter non prohibita, concessum intelli- gitur, quod expressè non prohibetur, uti habet Glof- sa communiter recepta in c. *Inter corporalia. §. Non invenitur. de Translat. Episc.* Permutare à natura prohibentur carentes usu rationis, quales sunt amene- tes, furiosi, infantes &c. hi enim sicut ab omni con- tractu, ita & Permutatione excluduntur, prout amplius diximus Lib. I. Tit. 35. de *Pactis. §. 2.*

35 A Jure prohibentur permutare, qui de Jure ven- dere & emere non possunt. Ratio est; quia Permu- tationem - vicem emptionis obtinere non est Juri in- cognitum, L. 2. C. h. t. Hinc quia nec Clerici lucrati cau- sâ, nec pupilli aut minores absque autoritate Tu- torum, aut Curatorum emere ac vendere possunt

ita nec permutare valent. Pariter sicut bona pupilla- rum aut minorum absque Judicis autoritate sibi comparare non possunt Curatores, & Tutores, prout Tit. XVII. n. 23. & *segg. de Emptione & ven- dit.* diximus, & ex Jure probavimus, ita nec Per- mutationem id facere queunt.

Resp. II. Permutationem rerum Ecclesiastica- rum facere possunt omnes, & soli, qui eadem res alienare possunt. Communis Ratio est; quia Per- mutatio est species alienationis c. *Nulli. 5. de Rebus Eccl'es. alien.* Quinam autem res Ecclesiasticas alie- nare valeant, vide supra Tit. XIII. de *Rebus Eccl'es. alienand.*

Petraclant hic amplius Doctores materiam de 37 Permutatione Beneficiorum. Verum quia nos de hac sufficienter jam egimus supra Lib. I. Tit. IX. de *Renunciatione. §. 4. n. 82.* ideo hic nihil repetimus, sed illic Lectorem remittimus.

Solùm, quod ibidem desiderari posset, est, 38 quod Episcopus subinde possit etiam cogere Cleri- cum ad permutandum cum alio Beneficio, si nem- pe gravis illi causa posuisset, vel quia Beneficiatus mi- nus est idoneus ad præstanda munera Beneficii hu- jus, vel in hoc loco &c. Abbas in c. *Questum. 5. h. t. nu. 7. & 8.* Innocentius in c. *Nisi de Renunciat.* Engel. *h. t. n. fm. Parisius Flamin. de Resignat. Bene- fic. num. 161. & segg. arg. cit. c. Questum. §. fm. ubi ita statuitur: Si Episcopus causam inspexerit necessa- riam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut quæ uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere.*

Procedit doctrina, etiam si causa absque culpa 39 Beneficarii eveniat, v. g. exurgat gravis avertisio & odium populi adversus Parochum, ita ut hujus ver- ba nihil amplius fructificent, populus Divina con- temnat, vel scandalum nascatur &c. uti apud Ab- batem citatum bene observat Innocentius *loc. cit.* Ratio est; quia bonum publicum debet præferri pri- vato, can. *Scias. 39. caus. 7. qu. 1. ibi: Nampulsi- morum utilitas unius utilitati aut voluntati præferenda est; & ad extinguendum scandalum atque pro bono pacis relaxanda sunt Juris præcepta, can. Si forte. 36. dist. 63. & ibi Glossa §. Ita tamen, item can. *Ut constitueretur. 25. ad finem. dist. 50. & c. Nil- hil prodest. 2. de Prescription. ubi Glossa §. Nihil cum scandalo, ait: Propter scandalum desistendum est à Jure suo. Ac docet cum S. Joanne à Capistrano in c. *Manifesta. de Penitent. & Remission. num. 43.* Flaminus *loc. cit. n. 165.***

Intellige, si aliâ viâ succurri non possit; enim ve- 40 rò quamdiu alia via juveni restat, v. g. posset suc- curri malo per assignationem Coadjutoris, non pos- set Beneficiatus invitus cogi ad permutandum. Ab- bas *loc. cit.* Porro si aliâ ratione malum tolli nequit, æquum est, ut illi, qui absque culpa sua Beneficium pinguis dimittit, assignetur pensio, vel alia com- pensatio, uti notat Abbas *loc. cit.* Flaminus *Parisius loc. cit. n. 176.* ac concordant dicta n. 33.

TITULUS XX.

De Feudis.

I. Ratio continuationis Rubricæ.

Præcedentem Titulum præfens sequitur: tum I quia Feudum in multis assimilatur Emphyteusi, de qua in præcedenti Titulo actum est; tum quia etiam per Feudum transfertur dominium saltem uti- le rerum, indeque alienationis species, de quibus hæcenus copiosa erat questio, annumeratur.

Ma

§. I. De Origine, Natura, & Divisione Feudi.

Materiam de Feudis SS. Canones brevissimè, duo- bus nempe, itaque brevibus capitulis absolvunt: Jus Civile verò eam duobus integris libris, & plurimis Titulis pertractat. Quapropter Legitæ magna Com- mentariorum volumina de eadem scripsere. Nos ea, quæ scitu utilia magis vel necessaria videbuntur, seligimus. Ponitur itaque

§. I.

De Origine, Natura, & Divisione Feudi.

S U M M A R I U M.

- 2 Controversia Doctorem de origine Feudi.
- 3 Probabilis à Longobardis originem trahit.
- 4 Ly Feudum derivatur à Fide jure fidelitate.
- 5 Feudi varia acceptio.
- 6 Feudatarius, & dominus directus quinam? Ibid.
- 7 Debet esse res immobilis.
- 8 Jura incorporalia immobilibus comparantur. Ibid.
- 9 Per Feudum transfertur solummodo dominium uti- le, liberaliter tamen & perpetuè: in quo differt ab Emphyteusi.
- 10 Feudatarius obligatur ad fidelitatem & obsequium personale.
- 11 Si habet Feudum proprium.
- 12 Feudum dividitur variè, primò in proprium ac improprium.
- 13 Utriusque descriptio. Ibid.
- 14 Feudum antiquum & novum, paternum & avitu- mum quid?
- 15 Differentia inter Feudum novum & antiquum. Et num. seg.
- 16 Feudum Ecclesiasticum, & seculare quid, & unde cognoscatur?
- 17 Episcopi, & alii Clerici habentes Feudum se- culare, à domino directo in causa Feudali ju- dicantur.
- 18 Feudum seculare quod Ecclesia habet, differt à Feudo seculari, quod Laicus habet; & quomodo?
- 19 Feudum nobile & ignobile quid?
- 20 Regale & non Regale quid?
- 21 Regalia quid importent? Ibid. remissivè.
- 22 Feudum Ligium & non Ligium quid?
- 23 Feuda Ligia non potest quis à duobus dominis ac- cipere.
- 24 Bene tamen Feuda non Ligia.
- 25 Feudum Familie, seu ex pacto, & providentia Stammenlehen quid?
- 26 Feudum hereditarium quid?
- 27 Clausula, Concedo Feudum pro te, & tuis hæ- redibus quibuscumque, indicat Feudum heredi- tarium. Ibid.
- 28 Non item clausula pro te & hæredibus: & quare?
- 29 Verba intelligenda sunt secundum subjectum ma- teriam.
- 30 Feudum Masculinum & Femininum quid?
- 31 Femininum esse improprie Feudum; nec possunt in eo succedere femine, quamdiu masculus super- stes est.
- 32 Feudum Francium, & non Francium quid?
- 33 Feudum reale, & personale. Personale aliud est de Camera, aliud de Cavena.
- 34 Aliud Quardie, aliud Gestaldie.
- 35 Aliud Soldate.
- 36 Feuda Personalia sunt Feuda impropria.
- 37 Feudum emphyteus & gratuitum.
- 38 An in emphyteus succedant femine? Ibid.
- 39 Feudum burfatica Bavaris speciale quid?
- 40 Enarrantur ejus conditiones.
- 41 Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

37 Feuda burfatica in Bavaria sunt frequentia.

38 Feuda equestria que?

39 Libri Feudorum an sint authentici? quæritur.

40 Respondetur affirmativè.

41 Probatur immemoriali consuetudine.

42 Consuetudo habet vim legis. Ibid.

43 Quenam Capitula non sint authentica in Libris Feudorum: & que illa?

Quæritur I. Unde originem trahat, & derive- 2 tur Feudum? Resp. I. Quamvis gravissima inter Doctores sit controversia de origine Feudi, cum aliqui cum Zasio in l. 2. §. *Curios. ff. de Orig. Juris. & Caciac. in Commentar. ad lib. Feud. in princ.* velint, Feuda ex antiquo Romanorum Jure origi- nem habere. Alii cum Luca de Penna in l. *Quicun- que. C. de Omni agro defect. lib. 11. doctem.* Feuda tempore Justiniani capisse. Alii dicant Feuda à Gal- lis ad Germanos, Italos, Hispanos, & alias Europæ Provincias venisse, uti videre est apud Fachin. lib. 7. cap. 1. ubi singulas opiniones examinat.

Nihilo minus communior ac probabilior tenet, 3 Feuda originem habere, ac primitivè concessa fuisse à Longobardis, qui Italiam occuparunt, diuque possederunt, natione ceteroquin Germani, vel Ger- manis vicini. Fachin. lib. 7. cap. 1. Harprecht in *Ad- notat. ad Jul. Clar. in §. Feudum. q. 1. n. 11.* Heig. part. 1. Engel. h. t. n. 1. & complures alii. Ratio est; tum quia in libris Feudorum passim fit mentio Lon- gobardorum, & Legum Longobardicarum, veluti lib. 1. tit. 1. de *Feudi cognitione*, item lib. 2. tit. 8. de *Investitura*, rursus lib. 2. tit. 58. de *Notis Feud.* & ali- bi. Tum quia in illdem libris plura reperuntur vo- cabula Germanica, ut Morgentatica, Marchia, Marchio, prout bene observat Fachin. *loc. cit.*

Resp. II. Ipsum nomen Feudum derivatur à fide, 4 seu fidelitate. Rosenthal cap. 1. de *Feud. concl. 7.* lib. 1. Engel. h. t. n. 2. & communis aliorum. Lib. 2. Feud. tit. 3. *Per quos fiat Investitura*, ibi: Cum à fidelitate Feudum dicatur, vel à fide, quæ verba, cum sint clara, audiendus non est Fachin. *loc. cit.* dicens, errare eos, qui putant ly Feudum à fide, seu fidelitate derivari. Ratio autem est; quia natura Feudi propriæ est, obligare Feudatarium, ut spe- ciale exhibeat fidelitatem erga dominum suum direc- tum, cujus est vasallus; cit. lib. 2. tit. 3. *Per quos fiat investitura*, ut dicitur: *Nulla investitura debet ei fieri, qui fidelitatem facere recusat.*

Quæritur II. Quid sit Feudum? Ante responso- 5 nem notandum, Feudum subinde sumi pro ipso contractu Feudali, quo res in Feudum datur: sub- inde pro jure, quod ex contractu Feudali, Feuda- tario, seu vasallo nascitur: subinde verò pro ipsa re, quæ in Feudum conceditur. Ille, qui rem in Feudum concedit, dicitur dominus directus, item dominus Feudi, Germanis *Lehen-herr*; qui accipit, vocatur vasallus, item feudatarius *Lehen-Mann, oder Lehen-trager*: res autem, quæ in Feudum concedi- tur, res feudalis, item simpliciter etiam Feudum, Germanis *Lehen-Gut*, vel simpliciter *Lehen* appellat- ur. In præsentem agemus quidem de Feudo in qua- vis acceptioe considerato, principaliter tamen de Feudo, prout sumitur pro ipsa re in Feudum con- cessa, in quo sensu nunc Feudum desinendo.

Resp. I. Feudum proprie dictum est res immobili- 6 lis, vel æquivalens, alicui quoad dominium utile li- beraliter, & perpetuè concessa sub onere fidelitatis & obsequii personalis præstandi. Ita in re communis ac certa: atque desumitur ex §. *fm. lib. 2. Feud. tit. 23.* ubi ita describitur: *Est beneficium illud, quod ex benevolentia ita datur alicui, ut proprietatis quæ- dem rei immobilis beneficiatæ penes dantem remaneat: ususfructus verò illius rei, ita ad accipien-*

G g

rem.

tem transeat, ut ad eum, heredesque suos masculos, sive feminas (si de his nominatum dictum sit) in perpetuum pertineat, ad hoc, ut ille, & sui heredes fideliter domino serviant. Ex quo textu, quamvis clarè pateat bonitas definitionis nostræ, nihilominus pro majori ejusdem claritate explicatæ singulæ particule.

7 Dicitur ergo primò, *Res immobilis*, v. g. agrum, prædium, ager, vinea &c. res enim mobilis Feudum esse nequit, arg. cit. lib. 2. tit. 23. libi: *Res immobilis*. Additur autem vel *æquivalens*: cujusmodi sunt jura incorporalia, quæ immobilibus accensentur, qualia jura sunt piscandi, venandi, ligandi, decimandi &c. arg. l. 1. & §. fin. C. de Præscript. longi temp. junctâ Clem. 1. de Rebus Eccles. non alien. item census, & redditus annui, Clem. Exivi. §. Cumque annui, de V. S. ibi: *Cumque redditis annui inter immobilia censentur à Jure*: hæc enim æquæ ac immobilia propriè talia, utpote quibus æquivalent, in Feudum dari possunt, ut habet communis Doctorum.

8 Dicitur *quoad dominium utile*; quia sicut emphyteuta, ita & feudatarius solum dominium utile, nullatenus autem proprietatem rei feudalis habet, claris verbis textus citati, ut *proprietas rei immobilis penes dantem remanet: ususfructus verò ad accipientem transferatur*. Dicitur *liberaliter*; quia Feudum est beneficium ex benevolentia datum; per quod differt ab Emphyteusi, in qua domino directo ab emphyteuta præstari debet canon annuus; unde si etiam in Feudo annua pensio constituitur, prout nonnunquam fieri solet, jam Feudum proprium non est, sed improprium. Dicitur *perpetuò*, quia Feuda propriè dicta non præcisè ad certum tempus, vel generationem, uti aliquæ saltem Emphyteuses, sed perpetuò conceduntur, ita ut etiam ad feudatarii heredes in perpetuum pertineant, prout loquitur textus. Quapropter si quod Feudum ad certum duntaxat tempus reperitur concessum, Feudum impropriè censeri debet.

9 Dicitur tandem *sub onere fidelitatis, & obsequii præstandi*; quia principale onus & obligatio feudatarii est, ut domino directo, à quo tantum beneficium accepit, sit fidelis, & nunquam aliquid contra eum machinetur, sed potius consilio, & auxilio adjuvet præsertim eum tunc ad bellum personaliter sequatur, vel alium sui loco, domino acceptabilem mittat, vel dimidium redditus Feudi unius anni domino subministrat pro belli expensis, lib. 2. Feud. tit. 55. §. 1. de Prohibita Feudi alienatione. Unde si Feudatarius ab his oneribus liber, aliis gravatur oneribus, vel obligationibus, Feudum improprium est.

10 Dicitur autem notanter in conclusione, *Feudum propriè dictum*, quia dantur hodie plurima Feuda, quibus definitio data quoad omnes particulas non convenit, quæ proin Feuda impropriè vocantur. De quibus statim infra.

11 Queritur III. Quotuplex sit Feudum, & quomodo dividatur? Resp. I. Feudum multiplex est, varietate dividitur. Et quidem primò in Feudum proprium & improprium. Proprium est, quod supra descripsimus. Improprium est, cui aliqua ex requisitis conditionibus, seu particulis definitionis deest; cujusmodi plura afferemus infra; quæ omnia genericè conveniunt in descriptione sequenti. Feudum largè sumptum est res immobilis alicui ad hoc concessa, ut domino sit fidelis, eique præstet id, ad quod per investituram specialiter obligatur. Est clara ex terminis, ac patet ex specificis Feudis impropriis infra allegandis.

12 Secundò dividitur in Feudum novum & antiquum. Novum est, quod vasallus possessor non ab aliquo antecedente, vi successione, sed ab ipso domino, vel præscriptione primùm accepit. Antiquum

est, quod prius jam ab alio ascendentium acquisitione, per successionem ad alios devolvitur. Julius Clarus, §. Feudum. q. 8. n. 1. Zalus in Epitome. p. 2. n. 6. Engel h. t. n. 7. Pirhing eod. n. 3. & communis aliorum, arg. lib. 2. Feud. tit. 3. prin. Et si quidem Feudum antiquum ab aliquo ascendentium intra quartum gradum, v. g. à patre, avo, proavo, vel abavo primitus obtentum est, vocari solet Feudum paternum ein *Väterliches Lehen*, arg. lib. 1. Feud. tit. 8. Si verò ab aliquo ascendentium ultra quartum gradum, v. g. à tritavo obtentum, dignoscitur Feudum avitum, seu propriè antiquum dicitur, ein *Altväterliches Lehen*. Verum quia in ipsis Feudorum libris paternum & avitum promiscuè, ac pro eodem sumuntur, uti videre est lib. 2. Feud. tit. 11. §. His verò, quoad effectum Juris non differunt, id eò hodie non amplius attenditur divisio Feudi antiqui in paternum & avitum, sed ad Juris exemplum pro eodem utrumque sumitur; ut bene advertit Volt. de Feud. lib. 1. cap. 8. Engel h. t. n. 7. Jul. Clarus loc. cit. & alii.

Cæterum multum refert, an Feudum novum sit, vel Antiquum; quia præter alias differentias, quas recenset Gail. lib. 1. Variar. observat. 50. n. 2. principaliter etiam differt Feudum novum ab antiquo, quòd in novo soli descendentes, Filii nempe, nepotes, ac pronepotes succedant, quibus deficientibus Feudum ad dominum revertitur, Gailus loc. cit. arg. lib. 1. Feud. tit. 8. §. Filia, in fine. In antiquo autem etiam fratres, & alii collaterales admittantur; dummodò à primo acquirente descendant; Gailus loc. cit. Engel h. t. n. 8. textus est in lib. 2. Feud. tit. 11. & tit. 50.

Rursus differt, quòd si pater intra annum, quo 14 Feudi renovationem petere debuisset, moriatur, filius in Feudo novo succedens non habeat integrum annum, sed tantum illud anni tempus residuum, quod patri defuncto adhuc supererat; succedenti verò in Feudo antiquo, si vasallus intra annum mortuus fuerit, concedatur novus integer annus, Gail. loc. cit. 8. & 9. Zaf. & alii, arg. l. Si Judex. 32. ff. de Judiciis. ac l. Et idem. 15. ff. V. O. Ratio est; quia in Feudo novo filius hæres refert, & repræsentat patris personam, l. Æmilius. 38. ff. de Min. Secus in Feudo antiquo, utpote in quo successor non ex persona defuncti, sed jure proprio per primum acquirentem sibi competente venit.

Tertiò dividitur Feudum in Ecclesiasticum, & 15 Sæculare, seu Laicale. Ecclesiasticum est, quod ab Ecclesiæ Prælati de bonis ad Ecclesiam spectantibus dantur alicui, sive Clerico, sive Laico. Bocer. de Qualitat. & different. Feud. cap. 2. Engel h. t. n. 9. Vult. lib. 1. cap. 8. n. 19. Azorius lib. 10. cap. 2. & communis aliorum. Sæculare, seu Laicale est, quod à Principibus, vel aliis dominis sæcularibus, aut etiam à Clericis, de bonis tamen patrimonialibus & sæcularibus datur. Nam in dignoscendo Feudo, an Ecclesiasticum sit, an Sæculare, non tam aspiciat persona Feudum concedens, quam res ipsa in Feudum concessa, ita, ut si res sit laicalis vel sæcularis, ipsum Feudum quoque sæculare sit, etiamsi Clerico, Ecclesiæ, vel Monasterio concedatur, arg. c. Ex transmissa. 6. de Foro competent. E contra si res sit Ecclesiastica seu propriè ad Ecclesiam pertinet, Feudum quoque Ecclesiasticum erit, etiamsi Laico sit concessa.

Hinc bene observat Gailus lib. Observ. 30. n. 4. 16 Territoria illa, quæ multi, præsertim Germaniæ Episcopi, & Prælati, in Feudum acceperunt, Feuda esse sæcularia, intuitu quorum, Episcopi hujusmodi sunt verè vasalli sæculares Imperatorum, & coram eis in causa Feudali comparere ac judicari debent; eò quòd universaliter quæstiones Feudales per

per dominum Feudi terminentur, c. Ex transmissa. 6. & c. Verum. 7. de Foro competent.

17 Verum quamvis, uti dictum, res laicalis Ecclesiæ concessa, sit Feudum sæculare; nihilo minus speciale privilegium habet, quo caret Feudum sæculare, à Laico acceptum; videlicet, quòd propter delictum, aut infidelitatem Prælati amittatur quidem, & ad dominum redeat, quamdiu vivit talis Prælati delinquens; verumtamen mortuo tali delinquente, Feudum denuò redeat ad Ecclesiam, textu expresse lib. 2. Feud. tit. 40. Ratio est; quia delictum personæ Prælati non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare, Reg. 76. de Reg. Jur. in 6.

18 Quartò dividitur Feudum in nobile & ignobile, seu plebejum. Nobile est, quod ex conferentis potestate ac voluntate nobilitatur. Ignobile est, quod ex defectu potestatis, vel voluntatis in concedente, nullam nobilitatem conferat accipienti Feudum. Vultejus de Feudis cap. 8. nu. 9. & Jeqq. arg. lib. 2. Feud. tit. 10. & 53.

19 Nobile Feudum subdividitur in Regale, & non Regale. Regale est (Germanis ein *Führen-Lehen* dictum, eò quòd investitura mediante vexillo tradatur) quod à supremo Principe cum jure Regalium conceditur. Hujusmodi Feuda sunt Regnum, Electoratus, Ducatus, Marchionatus, Principatus, Comitatus. Non regale est, quod personam accipientis quidem nobilitat, absque tamen jure Regalium. Vultejus de Feudis cap. 8. n. 10. Engel h. t. n. 10. arg. lib. 1. tit. 14. Feud.

20 Quintò dividitur Feudum in Ligium, & non Ligium. Ligium (à ligando seu verbo liga, quod socius & societas archaisimam significat) est, vi cuius vasallus jurat fidelitatem contra quemcumque, lib. 2. tit. 99. de Feud. Ligio. Excipie Romanom Pontificem, utpote qui in quovis Feudo Ligio intelligitur exceptus, eò quòd contra ipsum, nullum fidelitatis juramentum fieri queat, arg. c. Venientes. 19. de Jurejurando: ibi: *Cum prædictum juramentum vos excolare non possit, in quo debet intelligi jus Superioris exceptum*. Ob quam etiam rationem Feuda Ligia non nisi à supremis Principibus superioriorem non agnoscuntur dari possunt; quia à quovis Feudo Ligio superior dantis exceptus censetur, arg. cit. c. Venientes.

21 Porro non potest quis à duobus distinctis dominis Feuda Ligia accipere, arg. cit. lib. 2. tit. 99. Glossa in Clem. Pastoralis. §. Homo ligius, de Re judicata. Ratio est; quia impossibile est duobus promittere fidelitatem contra quemcumque; cum hoc ipso, quòd uni jam promiserit fidelitatem contra quemvis nullo excepto, etiam contra illum promiserit, à quo postea Feudum Ligium accipere vult. Clarus Feudum. q. 11. Engel h. t. n. 11.

22 Feudum non Ligium est, intuitu cuius, vasallus domino ita fidelitatem jurat, & debet, ut tamen alicui alteri ex eadem vel simili causa fidelitatem debent præstare valeat. Hinc bene quis potest duo, vel plura Feuda non Ligia à diversis dominis accipere; dummodò in nullo fidelitatem contra dominum alquem Feudi juret; uti habet communis, probatque praxis recepta.

23 Sextò dividitur Feudum in hæreditarium, & in Feudum Familie, seu ex Pacto & Providentia. Feudum Familie, Germanis *Stammen-Lehen* est, in quo soli masculi à primo vasallo per legitimum matrimonium descendentes, jure agnationis & sanguinis succedunt; quia ordinariè in favorem & conservationem Familie conceditur. Et hoc propriè Feudum dicitur, esseque semper præsumitur, quoties ex investitura pactive specialibus aliud non habetur, Berce. de qualitat. & different. Feud. cap. 5. numer. 36. Vultejus de Feudis. cap. 8. Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

numer. 32. arg. lib. 2. Feud. tit. 2. in fine.

Feudum hæreditarium ein *Erblehen*, item ein *ei-24 genthumblich Lehen*, est, in quo per specialia pacta, & ex speciali providentia primi acquirentis, vel speciali beneficio concedentis receditur à Jure communis, ita ut non soli agnati à primo acquirente succedentes, sed etiam omnes alii quicumque tandem hæredes sive masculi sive feminæ, sive ex testamento, sive ab intestato venientes succedant. Tale Feudum esse censetur, si in investitura hæc vel similis clausula habetur: *Concedo Feudum pro te & tuis hæredibus quibuscumque*. Jul. Clarus §. Feudum. q. 9. n. 2. Pirhing h. t. n. 3. Fachin. lib. 7. cap. 6. & communis aliorum. Ratio est, quia quamvis aliàs natura Feudi sit, non nisi Jure sanguinis succedentes admittit, nihilo minus, quia contractus ex conventionem legem accipiunt, Reg. 85. Jur. in 6. Et quilibet de re sua pro libitu disponere potest. L. In re Mandata. C. Mandati. concedere etiam quis potest Feudum hæreditarium, & concessum merito præsumitur, quando investitura præfatam inseruit clausulam. Siquidem verba indicant animum loquentis l. Labeo. 7. ff. de Supplecl. legata; nec à propria eorum significatione recedendum, quamdiu de contraria non constat voluntate, l. Non aliter. 69. ff. de Legatis. III.

Illud tamen cum Fachin. lib. 7. c. 3. Bald. Decio, 25 Pistorio, Gailo, & aliis concedendum videtur, quòd, quando in investitura sequens adhibetur clausula: *Concedo Feudum pro te, & hæredibus tuis*, non censetur Feudum hæreditarium, sed ex pacto & providentia, seu Feudum Familie, ita ut soli agnati masculi jure sanguinis succedant, non item feminæ; multò minus hæredes extranei. Ratio est; quia licet aliàs ly hæres universaliter quævis hæredem significet, arg. prin. Istit. de Hæred. qualitat. & different. prout Tit. XV/III. de Locato & Conducto. §. 8. n. 238. jam probavimus de Emphyteusi. Aliter tamen dicendum in materia Feudi, utpote in qua per speciale consuetudinem Feudorum per nomen hæredes simpliciter & absolute prolum significatur soli masculi ex legitimo matrimonio à primo acquirente jure sanguinis succedentes, lib. 1. Feud. tit. 8. & lib. 2. tit. 23. & tit. 50.

Nec obstat, quòd aliàs ly hæres universaliter quemvis hæredem denotet, cit. prin. Istit. de Hæred. qualitat. & different. Nam contra est, quòd verba eti generaliter prolata intelligi debeant secundum subiectam materiam L. 2. §. Prætor. 2. in §. Qualiscumque ff. Qui satisq. cog. junctâ Glossâ ibidem §. Facultatem, & c. 1. §. fin. de Jurejur. in 6. Consequenter quia in materia Feudi nomen hæres solos jure sanguinis succedentes legitimos masculos comprehendit, de illis solis illud nomen intelligere debemus.

Septimò dividitur Feudum in Masculinum & 27 Fæmineum. Masculinum est, in quo soli masculi succedere possunt. Fæmineum Germanis *Weiber oder Künck-Lehen* est, quod primitus collatum est feminæ, indeque feminas succedere patitur, lib. 2. Feud. tit. 30. & 50. Alii volunt etiam illud Feudum fæmineum esse, in quo ex speciali pacto & fæmineis succedere possunt, est primivus collatum sit masculo. Verum horum opinio non videtur conformis lib. 2. Feud. tit. 50. ubi Feudum fæmineum expresse distinctum reperitur à Feudo, in quo solum ex speciali pacto fæmineis succedunt; dicitur namque ibidem, quòd in Feudo non succedat filia nisi ex pacto, vel nisi sit fæmineum; uti bene advertunt Rosenthal in Synop. Feud. cap. 2. concl. 7. Vultejus lib. 1. de Feud. cap. 8. numer. 3. & alii. Ad conciliandos tamen Doctores dici potest, Feudum, in quo ex speciali pacto etiam fæmineis succedere possunt, G g 2

minæ succedunt; dici posse *Famium* improprie dictum; id quod confirmare videtur praxis, vi cuius universaliter ac sine distinctione vocari audimus Feudum *femineum ein Weiber oder Kunck-Lehen*, in quo femineæ succedere possunt, sive ex pacto speciali, sive quia primitus collatum fuerat femineæ.

28 Utrumque tamen hoc Feudum *femineum*, improprie Feudum est; quia de natura Feudi proprie dicti est, quod soli masculi succedant, arg. lib. 1. Feud. tit. 8. §. *Filia*: ibi: *Filia non succedit in Feudo, nisi investitura fuerit, ut & filia succedat, vel nisi investita fuerint*. De utroque insuper notandum est, quod non nisi masculis deficientibus in Feudo succedere valeant femineæ, ita ut quamdiu masculus aliquis succedere potens superstes est, nulla femina, etsi propinquior ad successionem admittatur; textus expresse habetur in cit. lib. 1. tit. 8. ibi: *Tunc enim succedit filia, filii non extantibus*, & lib. 2. tit. 30. *Femineum Feudum deficientibus masculis ad filias perimetur*.

29 Octavo dividitur in *Reale & Personale*. *Reale* est, vi cuius ad nulla servitia præstanda obligatur vasallus. *Non Francum* est, vi cuius ad certum servitium genus, prout nempe in investitura determinatur, tenetur vasallus. Et quia de natura Feudi est obligare vasallum ad aliquod saltem servitium, lib. 2. tit. 23. Feud. idem Feudum *Francum* à DD. communiter Feudum improprium salatur.

30 Nono dividitur in *Reale & Personale*. *Reale* est, quod cum primo acquirente non extinguitur, sed etiam ad hæredes transit. Azorius lib. 10. de Feudis, cap. 2. q. 5. cum communi aliorum, arg. lib. 1. tit. 1. Feud. *Personale* est, in quo nullus hæres succedit, seu quod cum primo acquirente extinguitur. *Personale* variè subdividitur. Aliud enim Feudum *personale* dicitur de *Camera ein Cammer-Lehen*, in hoc consistens, quod alicui ex ærario seu fisco domini directi aliquid pro sustentatione, quamdiu vivit, præbeatur. Aliud dicitur de *Cavenna*, vi cuius nempe vasallo ad dies vite aliquid datur à cella, horreo, vel penurio domini, Rosenthal cap. 2. concl. 30. De utroque hoc Feudo personali, de *Camera* nempe, & de *Cavenna* fit mentio lib. 2. Feud. tit. 1. §. *Sciendum*.

31 Rursus Feudum *personale* aliud est *Guardiæ*, aliud *Gastaldiæ*. Feudum *Guardiæ* est, quod datur alicui ad dies vite, vel certum tempus sub hoc onere, ut vasallus castrum, domum, territorium &c. custodiat, aut custodire, ac tueri juret. Feudum *Gastaldiæ* est, quod alicui eo sine datur, ut domum aut aliam rem domini gubernet, administret, aut procuret. De utroque hoc Feudo agitur in lib. 1. Feud. tit. 2.

32 Adhuc aliud Feudum *personale* est *Soldatæ*, in hoc consistens, quod alicui non quidem ex certa camera, vel cavena, sed simpliciter annua quantitas pecuniæ, vini, vel frumenti sub obligatione fidelitatis, & servitiorum præstatur, ita tamen, ut non tantum per mortem ipsius vasalli, sed etiam per mortem dantis expret; quapropter & personalissimum dicitur, Azorius loc. cit. Et de hoc Feudo *Soldatæ* ita habetur lib. 2. Feud. tit. 10. *Soldata est præstatio quedam annua gratuita, quæ à neutra parte transit in hæredem: morte enim dantis vel accipientis interveniente finitur. Soldata verò dicitur; quia plerumque in solidorum donatione consistit: quandoque autem in vino & annona consistit*.

33 Cæterum cuncta hæcenus recensita Feuda *personalia*, tantum improprie Feuda sunt: tum quia non durant perpetuo; tum quia non necessario

super immobilibus constituentur; quod utrumque tamen ad Feudum proprie dictum requiritur, textu claro, lib. 2. tit. 23. Feud. & diximus supra numer. 7. & 8. explicando definitionem Feudi.

Decimo dividitur in Feudum *emptitium*, & *gratuitum*. *Emptitium* est, quod pretio emitur, de quo habetur lib. 1. Feud. tit. 20. *Gratuitum* verò, quod gratis conceditur. Et quia de natura Feudi proprii est, ut liberaliter concedatur, hinc etiam Feudum *emptitium* Feudis improprie annumeratur. Controvertunt autem plurimum Doctores, num in Feudo *emptitium* succedat etiam femineæ, casu quo de eis in investitura nulla habeatur mentio. *Affirmativam* tenent Gailus, Mynsinger, Hartman, & alii, quos citat & sequitur Illustrissimus D. Schmidt ad Tit. 12. a. n. *status*. *Bavar.* Id ipsum expresse constitutum habetur in *statutis* *Bavaricis*, loc. cit. *Negativam* tuerit Rosenthal in *Synopsi* *Feud. cap. 7. concl. 34*. Verum quia nec *affirmativa*, nec *negativa* ex libris Feudorum clare deduci potest, ad locorum consuetudines, & particularia statuta attendendum erit; præsertim, quia totum Jus *Feudale* potissimum ex usu & moribus compilatum est, ac propterea Jus *consuetudinarium* vocatur, ipsique Feudorum libri *usus*, seu consuetudines Feudorum inscribuntur.

Præter Feuda huc usque enumerata dantur aliqua *Bavaris* specialia, inter quæ sunt Feuda *Bursatica*, *Beutel-oder Säckel-Lehen*, quorum natura in hoc consistit, quod vasallum ad nulla servitia *personalia*, sed tantum ad solvendum *Relevium den Lehenraich* obligent toties, quoties sive ex parte domini, sive ex parte vasalli contingit mutatio. Est autem *Relevium* vigesima pars pretii, quo assumitur bonum *Feudale*, sicut supra diximus de *Laudemio*, à quo tamen *Relevium* in hoc differt, quod *Laudemium* de bono *Emphyteutico* tantum solvatur contingente mutatione ex parte *emphyteutæ*. *Relevium* verò præstatur, sive ex parte domini, sive vasalli fiat mutatio, vi *statutorum* *Bavaricæ* Tit. 11. a. 4. & ibi Schmidt, quo tamen non obstante pinguis reputatur in *Bavaria* Feudum *Bursaticum*, quam *Emphyteusis*; quia in hac præter *Laudemium* suo tempore dandum, singulis annis præberi debet annuus canon, & quidem hodiernâ consuetudine fiat magnus. In Feudo autem præter *Relevium* ad nihil obligatur vasallus.

Inter alias qualitates Feudi *Bursatici*, etiam sequentes sunt. I. Quod transeat ad quosvis hæredes etiam extraneos, & feminas, si masculi deficient. II. Quod hæres legitimo tempore, id est, intra annum & diem à domino Feudum requirat, eum agnoscat, eique *Relevium* solvat. III. Quod si Feudum inter vivos alienare velit, consensum domini requirere debeat; quem etiam dominus dare tenetur, nisi iustum recusandi causam habeat. IV. Quod si quis vasallus hæredes ab intestato successuros habeat, non possit in extraneum, nec per ultimam voluntatem, nec per alienationem inter vivos transferre, nisi requirat, simulque habeat domini consensum; sine quo si transferre nititur, dispositio nulla est, & Feudum ad hæredes ab intestato succedentes transit.

Huiusmodi Feuda *Bursatica* sunt ferme omnia *36* Feuda *rustica* & *plebeia* in *Bavaria*, utpote vi quorum nulla servitia *personalia*, sed tantum *Relevia* præstatur, & vel hoc ipso, sicut etiam ex aliis capitibus, Feuda impropria reputantur, sunt insuper plerumque *emptitia*: vide de hoc Feudo Tit. 11. a. 4. *status*. *Bavar.* & ibi Illustrissimum Interpretem D. Schmidt,

Aliud

38 Aliud Feudum in *Bavaria* frequens est Feudum *Equestræ Ritter-Lehen*, vi cuius tenetur vasallus domino præstare servitia *equestris*, & contingente mutatione in recognitionem pro *Relevio* præbere *cin Schiefszeug*, antiquitus consistebat hoc *Relevium* in *bombarda & gladio*; cuius loco hodie successit pensio aliqua *pecuniaria* consistens in 7. *lorenis*, & 14. *crucigeris*, prout videre est in *statutis* *Bavar.* Tit. 22. a. 8. & apud Illustrissimum D. Schmidt ad *Processum* *summarium* Tit. 11. a. 4. ubi etiam docet, quod hæc feuda *equestris* quoque dividantur in *masculina* & *femineæ*, nova & antiqua; quæ membra facillime cognoscuntur ex *dictis* supra n. 11. & *segg.* Cæterum quia Feuda *Bursatica* & *equestris* non sunt de communibus Feudorum consuetudinibus, sed particularibus *Bavaricæ* dispositionibus, plura de iis non agimus; sed ulterius, quæ sunt Juris communis tractandum.

39 Queritur IV. An libri Feudorum seu scriptæ, corporicæ Juris *interiæ* Feudorum consuetudines sint *authenticæ*, habeantque vim Legis? Ratio dubitandi est: tum quod illæ consuetudines videantur particulares *Italorum*, maxime *Mediolanensium*, consequenter pro *Legge* *universali* in *Foro* *Imperii* *Romani* minime habendæ, Tum quia majori ex parte consistunt ex responsis, seu decisionibus privatorum D. D. *Gerhardi Nigri*, *Oberti de Orto*, qui potestatis *Legislativæ* carere. Et ob has rationes *Hollensis* in *Summa* de *Immunitate* *Eccles.* §. In *quantum*, & alii à *Fachin*. lib. 7. cap. 2. citati, *negativam* sententiam tenuerunt. Nihilominus,

40 Resp. Libri *Feudales*, seu Feudorum consuetudines sunt verò *authenticæ*, ita ut eisdem, quæ reliquæ *Leges* scriptæ auctoritate polleant, ac vim obligandi habeant. Ita *Fachin*. loc. cit. *Jul. Clarus* §. *Feudum*. q. 3. *Zalsius* in *Epitome* de *Feudis* in *prin.* *Engel h. r. n. 1.* & communissima aliorum. Ratio est; quia *Imperatorum*, quorum est *Leges* condere, consuetudines *Feudales* variis in locis confirmarunt, illis partim addendo, partim detrahendo, partim ratificando, uti colligitur ex lib. 1. Feud. Tit. 13. & lib. 2. Feud. Tit. 44. & 53. Eisdem libris, ac consuetudines *Feudales* in eis contentas approbarent etiam *Summi Pontifices*, arg. c. *Cæterum*. 5. de *Judiciis*, & c. *Ex transmissa*. 6. de *Toro* *competent.*

41 Accedit, quod longissimo ac immemoriali Orbis *Christiani* consuetudine recepti, & præcati sunt, idque & extra *judicium* allegentur; quod autem *judicium* *populi* receptum, & frequenter in eodem *controvertiarum* genere servatum est, pro *Legge* habetur. *Nam cum ipse Leges* (ait *Julianus I.* De *quibus* 22. ff. de *Legibus*) *nulla alia ex causa nos teneant, quam quod iudicio populi receptæ sint: meriti & ea, quæ sine illo scripto populus probavit, tenebunt omnes.* Nam quid interest, suffragio *populus* voluntatem suam declarat, an rebus *ipsis & factis*? Unde ibidem dicitur: *Inventata consuetudo pro Legge non immerito custodiatur.* Item: *De quibus causis, scriptis legibus non utimur, id custodiri oportet, quod moribus, & consuetudine introductum est.*

42 Notat tamen bene *Clarissimus D. Gletle*, id, quod modo de auctoritate & valore librorum *Feudalium* diximus, intelligendum esse de capitulis ordinariis, quæ in libro primo & secundo Feudorum utique ad capitulum 58. inclusive continentur; reliqua enim in secundo libro capitula *extraordinaria*, utpote non publicâ auctoritate, sed operâ *Cujacii*, & aliorum adjecta *dubiæ* auctoritatis, nec usu ita recepta sunt, uti *priora*. Quæ proin tunc tantum valent, & allegari possunt, quando cum capitulis ordinariis prioribus conveniunt, vel eorum *explicationem* faciunt, vel denique quando casum in *Reiffenschul Jus Can. Tom. III.*

ordinariis non decimum continent; minime verò, quando ordinariis contraria existunt. *Styrk in Exam. Jur. Feud. cap. 1. q. 22. & alii.*

§. II.

Quinam, quid, & quomodo in Feudum dare, & accipere possint?

SUMMARIUM.

- 43 In Feudum dare possunt omnes & soli rerum suarum administrationem habentes.
- 44 Etiam plebei, & femineæ.
- 45 Episcopi quoque, & Ecclesiarum Prælati adhibitis Juris solemnitatibus.
- 46 Imò sine Juris solemnitatibus Feuda antiqua.
- 47 Rerum suarum administratione carens in Feudum dare nequit.
- 48 Excipitur minor, qui saltem Feudum antiquum concedere potest.
- 49 Feudum accipere potest quisvis, si specialiter non prohibetur.
- 50 Etiam minorensis & pupillus; quomodo?
- 51 Ac insuper superior ab inferiore.
- 52 Clerici quoque Feuda accipere possunt.
- 53 Assertur ratio.
- 54 Omnis res immobilis in Feudum dari potest. Excipitur tamen res sacra.
- 55 Licet & hæc saltem indirectè in Feudum concedatur.
- 56 Tribus potissimum modis dari, & accipi, vel requiri potest Feudum.
- 57 Ad quod absolute necessaria est investitura.
- 58 Investitura abusiva fieri debet coram paribus curiæ: vel coram aliis testibus.
- 59 Pares curiæ quinam? Ibid.
- 60 In casu litis quomodo vasallus investituram probare debeat?
- 61 Feudum acquiritur etiam præscriptione triginta annorum.
- 62 Etiam sine titulo, dummodo ad sit bona fides.
- 63 Præscriptione fieri potest ex re Feudali allodiali.
- 64 Controversia DD. an Feudum malè alienatum præscribi valeat?
- 65 Sententia affirmativa.
- 66 Refutatur.
- 67 Et respondetur cum distinctione. Et n. seq.
- 68 Vasallus præscriptione facere potest ex re Feudali allodiale.
- 69 Reliqua de præscriptione Feud. Remissivè.

Queritur I. Quinam dare possint Feuda? Resp. 43 I. Universaliter omnes & soli, qui liberam rerum suarum administrationem habent. Communis Textus habetur in lib. 2. Feud. tit. 3. ibi: *Investitura Feudi non ab alio rectè fit, nisi ab eo, qui legitime bonorum suorum administrationem habet.* Et quidem feuda secularia dare imprimis potest Romanorum Imperator, non tantum de bonis propriis, seu patrimonialibus, sed etiam de bonis Imperii; hæc tamen cum limitatione, ut hodie regalia, & majoris momenti bona, *so etwas merklicher eintragen, als Fürstenthumb, Graffschafften, Städt, und dergleichen*, sine præcitu & consensu Electorum in Feudum concedere, aut de eis expectantias, ut vocant, dare nequeat, sed illorum redditus, si quando vacant, ad Imperii usum servare debeat; uti videre est in *capitulatione* *Caroli V.* art. 24. *Ferdinandi II.* art. 28. *Ferdinandi III.* art. 23. *Ferdinandi IV.* art. 30. *Leopoldi I.* art. 30. & *Josephi Romanorum Regis* art. 29.

- 44 Deinde etiam Electores Imperii, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, & alii Nobiliores bona sua in Feudum dare possunt, per textum in lib. 1. Feud. tit. 1. in princ. De plebeis quidem squaliter controversum est, sed communiter & Juris conformiter tenet, etiam illos bona sua allodialia, quorum liberam administrationem habent, in Feudum dare posse. Ratio est; quia ubi Juris dispositio non obstat, quilibet rei suae moderator atque arbiter existit. In re mandata. C. Mandati; nullibi autem in Jure reperitur dispositio Juris plebeis in hoc contraria: imò ipsi libri Feudales, eis positive etiam adstant, dum universaliter absque ulla limitatione concedunt, quod quilibet bona sua, quorum legitimam administrationem habet, in Feudum dare queat. cit. lib. 2. Feud. tit. 3. Nec refert mas sit an femina; dommodo rei, quam in Feudum dare vult, administrationem habeat: nam, ut ibidem dicitur, *Feminam quoque etiam novi Feudi investituram facere posse plerique consentiunt.*
- 45 Resp. II. Episcopi, Abbates, ac ceteri Praelati & Superiores Ecclesiastici possunt quidem bona Ecclesiae in novum Feudum concedere, sed non nisi cum requiritis Juris solemnitatibus. Jul. Clarus §. Feudum, & hodie communis, ac certa ob clarum Juris dispositionem Extravag. Ambitiosae. de Rebus Eccles. non alienand. ubi inter alia nova Infeudatio de bonis Ecclesiae expressè prohibetur, nisi fiat cum debita Juris solemnitate. Concordat textus in lib. 1. Feud. tit. 6. ibi: *Si Episcopus, vel Abbas, vel Abbatissa Feudum dederit de bonis Ecclesiarum, quae eis subiecta sunt &c. nullam habet vigorem.* Quenam autem Juris solemnitas requiritur ad concedendum novum Feudum Ecclesiasticum, vide supra Tit. XIII. de Rebus Eccles. alienandis, §. 2. eadem enim, quae ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requiritur Juris solemnitas, etiam ad constituendum novum Feudum Ecclesiasticum exigitur, eò quòd & Feudum aliquam alienationis speciem habeat, eique annumeretur, cit. Extravag. Ambitiosae. de Rebus Eccles. non alienand. & amplius Pirhing h. t. n. 4.
- 46 Dicitur autem notantur Feudum novum; quia, quòd res ab antiquo in Feudum dari solita, seu antiqua Feuda, quando redeunt ad Ecclesiam, demò etiam absque Juris solemnitate in Feudum concedere valeant Ecclesiarum Praelati, communiter tenent DD. signanter Jul. Clarus cit. q. 13. nu. 1. Abbas in c. Ut super de Rebus Eccles. alienand. n. 11. Pirhing h. t. n. 6. & alii. Patetque tam ex libris Feudorum, quam SS. Canonibus. Et quidem lib. 1. Feud. tit. 1. sic habetur: *Feudum autem dare possunt, Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Abbatissa, Praepositus, si antiquitus consuetudo eorum fuerit, Feudum dare.* Ex SS. Canonibus verò, c. fin. h. t. expressè statuit Pontifex, quòd Feudum ad Ecclesiam revertem, liberè de novo concedere valeat Praelatus, si viderit Ecclesiae expedire, id est, si eadem, vel similis causa utilitatis existat, prout diximus Tit. XVIII. de Emphyteusi d. n. 262. & seqq. quae ibidem usque ad finem Tituli de Emphyteusi dicta, etiam de Feudis cum proportione intelligi volumus.
- 47 Resp. III. Omnis ille bona sua in Feudum dare prohibetur, qui bonorum suorum administrationem non habet. Communis, & certa, textu claro lib. 2. Feud. tit. 3. in princ. ibi: *Investitura Feudi non ab alio rectè fit, nisi ab eo, qui legitime suorum bonorum administrationem habet.*
- 48 Limitatur tamen Conclusio in minore, utpote qui saltem antiquum Feudum, non item novum concedere potest, cit. lib. 2. Tit. 3. ibi: *Investitura, quae de veteri sit, etiam à minore potest fieri.* Azorius

lib. 10. de Feudis, cap. 5. q. 8. Quae limitatio ad alios bonorum suorum administratione carentes, v. g. pupillos, & furiosos non videtur extendenda. Ita Azorius loc. cit. Ratio est; quia solus minor excipitur à lege universaliter. Exceptio autem unius firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis, arg. l. Quaesitum. 12. §. 43. ff. de Fundo instructo. con. Dominus. 6. cauf. 32. q. 7. & amplius diximus in Lib. 1. Tit. 2. n. 405.

Quæritur II. Quomodo in Feudum accipere possunt? Resp. Omnes, qui nominatim non reperiuntur prohiberi. Dicitur namque lib. 2. tit. 3. Feud. *Personam investituram accipientis non distinguimus; nam etiam servus investiri poterit.* Hinc non refert, mas sit an femina Feudum accipiens. Quamvis enim in Feudo proprio non succedat feminae, ut infra dicitur, tamen Feuda eidem concedi possunt, lib. 2. Feud. tit. 23. §. fin. & tit. 30.

Pariter non refert, an majorrennis sit, vel minorrennis; quia minorrennis quoque, quin & pupillus, etiam absque Tutore, vel Curatore Feudum acquirere, & conditionem suam meliorem facere potest, arg. cit. lib. 2. tit. 3. Feud. & princ. Instit. de Auctorit. Tutor. ibi: *Namque placuit, meliorem quidem conditionem licere eis (pupillis) facere, etiam sine Tutoris auctoritate: deteriori verò non aliter, quam cum Tutoris auctoritate.* Est tamen discrimen inter pupillum & minorennem, videlicet, quòd si absque Tutoris auctoritate pupillus accipiat Feudum, hoc instar aliorum contractuum cum pupillis initorum claudicet, ita nempe, ut pupillus quidem utilitatem Feudi percipiat, obligationem tamen præstandi servitii & onera realia non contrahat. Minorrennis verò ad servitium saltem personalia obligatur; eò quòd minor, non item Tutor absque Curatoris auctoritate ad servitium personalia obligare se possit; cum Curator pro rebus tantum, & non simul pro persona, uti Tutor, detur, uti communiter advertunt DD. in l. Obligari. 43. ff. de Obligat. & Actio.

Rursus non refert, an inferior, vel superior sit Feudum accipiens; siquidem & superior ab inferiori Feudum accipere potest, arg. cit. lib. 2. Feud. tit. 3. & l. 14. ff. de Jurisdic. noiant tamen Schreder. de Feud. part. 4. cap. 3. ult. & alii, quòd si Superior, præsertim Ecclesiasticus ab inferioribus Feudum accipiat, ad servitium præstandum subvasallum constituere possit, & soleat, id quod in praxi observari videmus.

Quæritur specialiter III. An etiam Clerici, & Religiosi in Feudum accipere quid possint? Ante responsum notandum, aliud esse simpliciter quærire, an Clerici Feudum accipere possint; aliud an in Feudo succedere; aliud an illud retinere valeant? Quæritum procedit de primo membro; quia an succedere in Feudo queant, dicemus infra §. seqq. Unde respondetur, Clerici, & Religiosi non minus ac Laici de novo accipere possunt quæcumque Feuda, si dominus directus ita velit, eisque liberè concedat. Fachin. lib. 7. cap. 35. Rolent. de Feudis c. 3. Conclu. 5. Zalusus in Epitome part. 5. n. 21. Pirhing h. t. n. 23. & communis. Probat ex utroque Jure; & quidem ex Jure Canonico per c. Ex transmissa. 6. & seq. ubi indubitè supponitur, quòd Clerici Feuda accipere, & habere valeant; eisque præcipitur, ut Feuda habentes secularia, eorum domino Feudi iudicium sustineant. Idem habetur ex lib. 2. Feud. tit. 40. §. fin. ubi pariter supponitur, Clericos Feuda à domino directo dare habere posse; ibi: *Si Clericus veluti Episcopus, Abbas beneficium (id est Feudum) habens à Rege datum &c.*

Ratio Conclusionis est; quòd quamvis Clerici, aut

§. II. Quinam, quid, & quomodo in Feudum dare, &c. 355

aut Religiosi servitium personalia, vi Feudi proprii debita præstare per se non valeant, consequenter Feudi propriè tuis incapaces esse videntur: Nichilo minus, quia dominus, si vult, statim in investitura concedere potest, ut Clerici per substitutos servitium peragant, Feudum etiam alias proprium hæc ratione accipere possunt Clerici, ac Religiosi. De reliquis Feudis impropriè talibus habentibus obligationem, seu servitium cum statu Clericali non incompatibilia, v. g. præstationem certæ pecuniæ, vel aliud simile onus, dubium non est, quin ea accipere Clerici valeant. Confirmatur praxi passim, præsertim in Germania vigente, ubi videmus, Clericos Feuda non tantum Franca, aut talia, quæ habent onera statum Clericalem non dedecentia, sed etiam propria Feuda servitium personalia requirentia habere; sic namque ferme omnes Germaniæ Episcopi, & plurimi Abbates Feuda Imperialia habent, ob quæ Imperatori tanquam Domino directo in bello servitium personalia per alios præstant.

44 Quæritur IV. Quidnam in Feudum dari & accipi possit? Resp. I. Omnis, & sola res immobilis temporalis sive laicalis, sive Ecclesiastica in Feudum dari & accipi potest. Est communis, patetque ex jam dictis. Et quidem quòd debeat esse res immobilis, dictum est supra h. t. n. 7. ubi etiam explicatum habetur, quidnam intelligatur per rem immobilis. Quòd verò omnis res immobilis etiam Ecclesiastica in Feudum concedi queat (adhuc nempe Juris solemnitatibus) constat ex numer. 45. Resp. II. Res sacre Religiose ac spirituales in Feudum dari, & accipi directè non possunt. Rursus communis ac certa. Ratio est; tum quia commercio humano sunt exemptæ, l. Pacta. 72. §. fin. ff. de Contrah. empt. Tum quia simoniacum est, quodcumque servitium aut onus temporale pro re spirituali promittitur, uti patet ibi dicendis infra Tit. de Simonia. Dicitur tamen directè, quia indirectè est in consequentiam etiam res sacre ac spirituales in Feudum accipi & dari possunt; si nempe temporalibus sunt annexæ; quia tunc cum ipsa re principali, accessoriè ac indirectè traduntur in Feudum, arg. c. Ex literis. 7. de Jure Patronatus, ubi expressè habetur, quòd una cum universitate bonorum temporalium accessoriè etiam transeat jus patronatus.

55 Quæritur V. Quomodo seu quibus modis acquiratur Feudum? Resp. Tribus potissimum modis dari, & accipi, vel requiri potest Feudum. Videlicet I. Pacto & investitura. II. Præscriptione. III. Successione. Per Pactum intelligitur ille contractus Feudalis, quo dominus alicui sub certis conditionibus, aut oneribus rem suam in Feudum concedit, & à Feudatario reciprocam promissionem accipit. Investitura verò, die Belehung, est actus ille solemnus, quo Feudatarius à domino directo, vel actualiter mittitur in possessionem rei Feudalis, vel signum aliquod, v. g. vexillum, gladium, hastam, annullum &c. juxta loci consuetudinem accipit cum expressione verborum idoneorum à dante prolatorum, quòd hoc signo intendat, aut velit Feudatario Feudum revera concedere, & illum actualiter investire, lib. 2. Feud. tit. 2. ubi etiam dicitur, quòd actus ille, quo quis à domino, vel eius deputato actualiter mittitur in possessionem Feudi, fit & dicitur investitura propria: ille verò actus, quo traditur signum, vocetur investitura abusiva, seu impropria, ibi: *Investitura quidem propriè dicitur possessio; abusivo autem modo dicitur investitura, quando hasta, vel aliud corporeum quilibet porrigitur à domino Feudi, se investituram facere dicente.*

Porrò investitura absolute necessaria est ad acquirendum Feudum. Nam sciendum est, Feudum sine investitura nullo modo constitui posse, sunt verba lib. 1. Feud. tit. 25. Sufficit autem etiam abusiva investitura, lib. 2. Feud. tit. 33. in princ. ibi: *Sciendum itaque est, Feudum acquiri investituræ &c. vel eo, quòd habetur pro investitura.* Quamvis enim per investituram abusivam Feudatarius possessionem non statim acquirit, tenetur tamen dominus eum in possessionem actualem immittere, ita ut amplius preterire non possit nec satisfacere valeat præstando interesse, lib. 2. tit. 26. §. Si facta. Imò potest Feudatarius abusivè investitus, statim propriè auctoritate Feudum vacuum ingredi, prout arg. c. Ex literis. 2. de Consuetud. communiter tradunt DD. apud Berkolt. de Feud. cap. 8. n. 10. Potest etiam per alium tam dari, quam accipi investitura; nam utrum ipse, vel alius pro te investituram faciat, vel suscipiat, nihil interesse putamus, dicitur lib. 2. Feud. tit. 3. circa finem.

Illud tamen notandum, quòd si quis abusivè investituræ, investitura fieri debeat coram duobus saltem paribus curiæ, id est, coram aliis duobus vasallis, qui ab eodem domino Feudum possident, casu quo talis dominus plures vasallos habeat, lib. 2. Feud. tit. 2. in princ. ibi: *quæ (investitura abusiva) siquidem ab illo fiat, qui illos habet vasallos, saltem coram duobus ex illis solemniter geri debet; alioquin licet alii testes intersint, investitura minime valeat.* Quòd si verò alios vasallos non habeat dominus, vel si habet, tamen venire non possunt, adhiberi possunt ac debent testes extranei, arg. cit. textu, & lib. 1. tit. 26. ubi etiam habetur, quòd in Feudis Ecclesiasticis pariter accipiuntur pares & extranei. Eodem modo extranei sufficiunt, ubi consuetudo est, eos adhibendi, arg. c. fin. de Consuetud.

Hinc si lis oriatur inter dominum & vasallum, debet vasallus investituram sibi factam probare per pares curiæ, vel alios extraneos testes juxta dicta n. præced. cit. lib. 2. Feud. tit. 2. Si pares curiæ vel testes non amplius existunt, probatio fieri debet per instrumentum tempore investituræ legitime erectum, Lehen-Brief, quòd alii etiam investituram vocant. Si nec instrumentum erit, ad juramentum proceditur; quòd idem observatur, si pares curiæ, aut testes, odio vel amore veritatem dicere recusarent, aut se absentarent, lib. 1. Feud. tit. 26. & lib. 2. tit. 2. ubi modus jurandi prolixè describitur. Porrò, quandam investituræ renovatio fieri debeat, dicitur infra.

Secundò acquiri potest Feudum præscriptione triginta annorum, textus expressus habetur in lib. 2. Feud. tit. 26. §. Si quis per. ibi: *Si quis per triginta annos rem aliquam in Feudum possiderit, & servitium domino exhibuerit; quamvis de ea re non sit investitus, præscriptione tamen triginta annorum servari potest: intellige, si contra dominum sæcularem, vel alium privatum fiat præscriptio; contra Ecclesiam enim vel alia loca pia, si præscribitur, quadraginta requiruntur anni.* Ratio est; quia universaliter ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesiam, vel aliam piam causam requiritur præscriptio quadraginta annorum, prout ex Jure latè probavimus supra Lib. 2. Tit. 26. de Præscriptione. numer. 162. & 163. præsertim, cum in libris Feudorum contrarium non habeatur, bene verò præcipitur, ut, si casus emergerit, qui libris Feudorum non comprehenditur, juxta Legem scriptam decidatur, lib. 2. Feud. tit. 1. §. Sirenius, & sequuntur DD. communiter, signanter Engel h. t. n. 17. Mynting. Cent. 4. Observ. 29. n. 3. Rolent. de Feud. cap. 6. conclus. 78. n. 7. contra Vult. de Feudis

lib. i. cap. 9. numer. 8. & nonnullis alios.

60. Requiritur autem ad hanc prescriptionem bona fides, quia c. fin. de prescrip. universaliter statutum habetur, ut nulla valeat absque bona fide prescriptio tam Canonica, quam Civilis, unde est regula Juris in 6. Possessor male fidei ullo tempore non prescribit; Nec valent leges Civiles, & consuetudines contrariae, utpote quibus derogatur per SS. Canones; cit. c. fin. de Prescrip. cum generaliter sit omni constitutioni, & consuetudini derogandum, quae absque peccato mortali non potest observari. Titulus tamen ad praescribenda Feuda non requiritur: Engel h. i. numer. 17. Ratio est, quod universaliter ad prescriptionem longissimi temporis bona fides absque titulo sufficit, arg. c. l. de Prescrip. in 6. & dictum est supra Lib. 2. Tit. 26. de Prescrip. numer. 155.

61. Potest sicut vasallus contra dominum, ut rem ipsius in Feudum possidere queat, ita dominus contra vasallum praescribere potest, ut propria & allodialis res vasalli evadat Feudalis, si nempe per annos triginta a vasallo ratione rei aliquis praestantur servitia, vel alia onera Feudalia. Engel h. i. n. 17. Vult. de Feudis lib. 1. cap. 11. Clarus s. Feudum. q. 19. & 45. numer. 1. cum communi aliorum. Ratio est; quia videntur esse correlativa, ideoque statutum de uno, censetur etiam statutum de altero, Barbosa, Axiomat. 61. arg. l. fin. C. de Indul. viduit.

62. Major est controversia inter DD. an, si quis absque consensu domini Feudum suum alteri vendat, vel alias alienet, possit bona fidei emptor spatio triginta, vel quadraginta annorum tale Feudum praescribere, ita, ut ex Feudali fiat allodialis, vel saltem ut fiat ipse loco prioris vasallus, adeoque dominus talem alienationem absque suo consensu factam annullare, & Feudum tanquam sibi apertum revocare amplius nequeat? Resp. quoad primum, an fieri possit ex re Feudali male alienata allodialis, mediante prescriptione triginta, vel quadraginta annorum, negativam tunc plures cum Harprecht prin. Instit. de Usucap. n. 16. ob clarissimum textum lib. 2. Feud. tit. 55. ubi Fridericus Imperator sic statuit. Nos autem ad pleniorum Regni utilitatem providentes, non solum impostum, sed etiam hujusmodi illicitas alienationes hactenus perpetratas hac perpetua sanctione cassamus, & in irritum deducimus, nullius temporis prescriptione impediende &c. emptori bona fidei ex empto actione de pretio contra venditorem competente.

63. Affirmativam vero tenent alii non pauci, ut Gailus, Rosenh. in Synops. Juris Feud. cap. 6. concl. 150. & cap. 9. concl. 132. Tiraquel. Praepositus, Baldus, & alii, moti hac ratione, quod ob bonum Reipublicae, & ad tollendas innumeratas lites prescriptio triginta vel quadraginta annorum cuilibet plenam securitatem praestet, l. Sicut. 3. & l. Omnes. 4. C. de Prescrip. 30. & 40. am. Ad textum libri Feudalis respondent, illam intelligendum esse de prescriptione ordinaria decem, vel viginti annorum; non item de extraordinaria longissimi temporis.

64. Verum huic affirmativae absolutae adherendum non videtur: tum quia textus nimis clare omnem prescriptionem cujuscunque temporis, consequenter etiam longissimi infirmat, per verba, nullius temporis prescriptione impediende: tum quia ubi Jus prescribenti positive resistit, uti in praesenti casu, nec quadraginta anni absque legitimo titulo sufficientur, uti bene advertit Jul. Clarus s. Feud. q. 45. n. 2. ad finem. arg. c. l. de Prescrip. in 6.

65. Hinc probabilis cum Engel h. i. n. 42. distinguitur inter Feuda, quae habent annexa servitia

militaria pro Reipublicae utilitate, & plerumque à Principibus dantur, qui gerendi bellum facultatem habent: ac inter Feuda privatorum, vel vi quorum ad servitia & onera militaria vasalli non tenentur. De prioribus Feudis dicendum, ea male alienata spatio triginta, vel quadraginta annorum non praescribi, ob textum num. 62. allegatum. In posterioribus autem prescriptionem locum habere. Ratio hujus distinctionis & diversitatis desumitur ex ipso cit. tit. 55. lib. 2. Feud. utpote quia praesens de prioribus Feudis, non item de posterioribus loqui videtur, uti ex fine ac ratione Legis ibidem statum in principio allegato patet; ubi dicit Imperator, se ideo cunctas alienationes Feudorum reprobare, ac omnem prescriptionem infirmare, ne cum magno Reipublicae detrimento servitia militaria minuantur, & expeditioni bellicae vasalli obligati desint. Quae ratio, cum in posterioribus Feudis cesset, cessat etiam lex ipsa; quia cessante ratione Legis cessat Lex ipsa, l. Quod dictum. ff. de Pactis. praesertim quae est correctoria Juris prioris, c. Cum expediat. 29. de Elect. in 6. uti est Constitutio haec Feudalis, utpote contraria cit. l. Sicut. 3. & l. Omnes. 4. C. de Prescrip.

Ob eadem fundamenta quoad secundum, resp. ponderi potest, videlicet, quod Feudum male alienatum, à bonae fidei emptore & possessore spatio quadraginta vel triginta annorum praescribi valeat saltem quoad dominium utile, ita nempe, ut loco prioris succedat vasallus bonae fidei emptor, consequenter dominus contractum irritare, ac Feudum tanquam sibi apertum revocare non valeat; eò quod etiam in hoc casu cesset ratio Legis, lib. 2. Feud. tit. 55. infirmata, cum vasalli non minuantur, adeoque bonum Reipublicae, vel expeditio bellica detrimentum nullum patiantur. Et ita tenet Glossa in lib. 2. tit. 40. §. Praeterea.

Defendit quoque Abbas in c. Ad auctoritatem. 13. 67. de Prescrip. n. 17. quem sequitur Engel h. i. n. 42. quod sicut dominus prescriptionem facere potest, ut ex re allodiali vasalli fiat Feudalis, ita e contra vasallus eadem prescriptione triginta annorum efficiere queat, ut ex re Feudali fiat allodialis ipse vasalli, si nempe per annos triginta bona fide nulla servitia vel onera Feudalia praestet, arg. l. Omnes. 4. C. de Prescrip. Nec obstat textus lib. 2. Feud. tit. 55. quia ibi fit sermo de prescriptione Feudi male alienati, non item de Feudo, quod praescribit ipse vasallus absque alienatione, faciendo per prescriptionem ex eo rem allodialem. De qua proin prescriptione loqui debemus juxta communia Juris principia de Prescriptione.

Pariter juxta Jus commune responderi debet ad quaesitum, an & quanto tempore unus dominus adversus alterum praescribere valeat Feudum. Quoniam autem Jus commune de Prescriptione statuat, vide supra Lib. 2. Tit. 26. de Prescrip.ione.

§. III.

De Successione Feudi.

S U M M A R I U M.

- 69. Quamvis olim nulla daretur, hodie tamen datur successio in Feudo.
- 70. Ab intestato, non item ex testamento.
- 71. Omnis dispositio testamentaria de Feudis invalida est.
- 72. Excepto Feudo perfectè hereditario.
- 73. Triplex genus succedentium in Feudo.

74. Primo

- 74. Primo loco succedunt descendentes Filii & Nepotes, hi in stirpes, illi in capita aequaliter.
- 75. Filii aequaliter succedunt, etsi sint ex diverso matrimonio.
- 76. In Feudis individuis Ducatus v. g. solus primogenitus succedit, cujus filius tanquam nepos patris praefertur secundogenito patris.
- 77. Filii adoptivi & illegitimi, etsi legitimi in Feudo non succedunt, nisi legitimentur per subsequens matrimonium: vel ad id specialiter legitimentur Rescripto Principis.
- 78. Filii etiam justè exheredatus in Feudo succedunt, nisi Feudum dependeat ab hereditate.
- 79. Ascendentes regulariter in Feudo non succedunt.
- 80. Casus, in quibus ordinariè succedunt.
- 81. Deficientibus descendens regulariter succedunt. collaterales agnati, non consanguinei, quam Germani, non item cognati.
- 82. Agnati & Cognati qui? Consanguinei & Germani qui? Ibid.
- 83. Probatur ex Jure.
- 84. Deficientibus descendens & fratribus, succedunt nepotes ex fratribus in capita, non in stirpem.
- 85. Deficientibus etiam hi nepotibus, succedunt agnati illi, qui ex linea defuncti vasalli descendunt, etsi adsint alii proximiores primo, ex alia tamen linea venientes, acquirunt.
- 86. Agnati in infinitum succedunt, etiam collaterales.
- 87. Solvitur instantia.
- 88. In Feudo novo soli descendentes succedere possunt.
- 89. Feminae & descendentes ab eis etiam masculi regulariter in Feudis non succedunt.
- 90. Rationes hujus afferuntur.
- 91. In Feudo femine, vel ex speciali pacto etiam feminae succedunt.
- 92. Si nullus amplius masculus extat.
- 93. An in Feudis impropris feminae deficientibus masculi succedant, controversia est inter DD.
- 94. In Bavaria affirmativa tenet in Feudis emptitiis.
- 95. Femina in Feudo investita non repellitur à masculino postea nato, nisi hic tempore investiturae jam fuerit in utero matris.
- 96. Festus in utero gaudet privilegio nati. Ibid.
- 97. Femina semel exclusa an censetur perpetuo exclusa, controversum DD.
- 98. Clerici & Religiosi in Feudis propriis regulariter non succedunt.
- 99. Solvitur instantia. Et n. seq.
- 100. Clerici & Religiosi in Feudis propriis succedunt, si sunt annexa dignitate Ecclesiasticae, vel si vi investiturae, statuti, aut consuetudinis id eis competat.
- 101. In Feudis Francis, famineis, hereditariis, & aliis impropris Clerici & Religiosi succedere possunt.
- 102. Imo etiam Monasterium, loco professi, quamdiu talis Religiosus vivit.
- 103. Ratio cur post mortem professi Feudum non amplius retineat?
- 104. In Feudis Regularibus Monasterium loco professi non succedit.
- 105. Bene tamen in Oppidis & Castris jurisdictionem habentibus.
- 106. Muti, surdi &c. succedunt in Feudis, quorum servitia praestare valent. Et n. seq.
- 107. Non item in illis, quorum servitia praestare nequeunt.
- 108. Debet tamen de his, si magnos redditus ha-

berent, muti, surdi &c. praestari honesta sustentatio.

Tertius modus acquirendi Feudum est Successio, de qua quia plura examinanda occurrunt, notatur praesens Paragraphus specialis, unde

Quaeritur I. An, & qualiter Feudum acquiratur Successione? Resp. I. Quamvis ab initio penitus nulla daretur Feudorum Successio, ea tamen postea moribus, & legibus introducta, ac successivè magis extensa fuit. Ita clarè habetur lib. 1. Feud. tit. 1. §. 1. ibi: Amiquissimo etiam tempore, sic erat in dominorum potestate connexum, ut, quando vellent, possent auferre rem in Feudum à se datam: postea verò ed ventum est, ut per annum tantum firmitatem haberent. Deinde statutum est, ut usque ad vitam fidelis produceretur: Sed cum hoc jure Successionis ad filios non pertinere, sic progressum est, ut ad filios deveniret, in quem scilicet dominus hoc vellet beneficium confirmare, quod hodie ita stabilitum est, ut ad omnes (filios) aequaliter veniat. Et infra. Hoc quoque sciendum est, quod beneficium hoc advenientes ex latere ultra fratres patruales non progreditur successione secundum usum ab antiquis constitutum; licet moderno tempore usque ad septimum gradum sit usurpatum, quod in masculis descendens novo jure usque in infinitum extenditur.

Resp. II. Licet in rebus allodialibus duplex detur successio, testamentaria nempe, seu ex testamento, & ab intestato, quae & legitima vocatur, l. 1. §. 3. & 8. ff. de Petit. heredit. In Feudis tamen sola successio ab intestato, seu legitima, non item ex testamento admittitur. Engel h. i. numer. 18. cum communi aliorum. arg. lib. 1. Feud. tit. 8. prin. ibi: Nulla ordinatione defuncti in Feudo, manente vel valente.

Hinc irrita ac nullius valoris est omnis circa Feudum dispositio testamentaria, quae v. g. pater disponit, ut Feudum ad filios inaequaliter transeat, aut ut illud unus solus habeat, praerogative nomine possideat, Schrader de Feud. p. 7. cap. 2. n. 3. & 12. etiam cum domini directi consensu id faciat, arg. lib. 1. Feud. tit. 7. prin. nisi agnati quoque, de quorum praedictio agit, consentiant, Curt. Jun. de Feud. p. 4. n. 127. & seqq. Pariter nulla est circa Feudum dispositio testamentaria ad causas pias, lib. 2. tit. 9. §. Donec. idque in tantum, ut ne quidem assimilationem Feudi relicti haeres praestare teneatur pio Legatario, eò quod de re legata, cujus nullum est commercium (uti in praesenti Feudum lib. 2. tit. 52. & 55.) nec assimilatio debeat, arg. l. Cum servus. 39. in fin. ff. de Legatis I.

Limitatur Conclusio in Feudo merè hereditario, 72 de hoc enim testamentum quoque fieri posse, dispositionemque testamentariam valere, nemo dubitat, Vult. lib. 1. Feud. cap. 9. n. 74. & dictum est supra n. 24. & 25. ubi etiam explicatum habetur, quid sit Feudum hereditarium.

Quaeritur II. Quo ordine in Feudo fiat successio ab intestato? Ante responsum notandum, triplex esse genus eorum, qui ab intestato, jure sanguinis in Feudo succedere possunt, descendendum nempe, ut Filiorum, nepotum &c. Ascendentium, Patris v. g. vel avi &c. Et Collateralium, fratrum scilicet & aliorum Consanguineorum. De singulis singula dabimus responsa. Hinc

Resp. I. Primo loco & ordine in Feudis succedunt descendentes masculi, Filii nempe, & nepotes. Textus est in lib. 2. Feud. tit. 11. prin. ibi: Mortuo enim eo, qui beneficium tenebat, prima causa liberorum est; filiis enim existentibus masculis, vel ex filio nepotibus, vel deinceps per masculinum sexum

seu descendentes, ceteri remouentur agnati. Eit autem inter descendentes ordo succedendi talis, ut, si plures sint Filii, succedant æqualiter in capita; nepotes verò cum Filiis concurrentes, in stirpes loco patris defuncti jure nempe repræsentationis, lib. 1. Feud. tit. 8. ibi: *Si quis discesserit filii superstitibus, succedunt filii æqualiter, vel nepotes ex filio loco patris sui.*

75 Nec refert, an filii sint sui vel emancipati, ex uno, vel diverso matrimonio nati, eò quòd textus citati de Filiis indistinctè loquantur; quibus concordat textus lib. 1. Feud. tit. 1. §. 1. ubi de successione Filiorum in Feudis sic habetur: *Quòd hodie ita statutum habetur, ut ad omnes æqualiter filios pertineat, & quidem de emancipatis habetur etiam textus specialis Novell. 118. c. 1. ubi sublatò discrimine antiquo, emancipati & sui æqualiter admittuntur.* De Filiis secundi matrimonii dubium facere possit textus lib. 2. Feud. tit. 26. §. Mulier. ubi Filii prioris matrimonii præferuntur in successione Feudi; sed respondetur cum Ludvel, & Azorio lib. 10. c. 8. q. 3. Curt. in Tract. de Feud. p. 3. memb. 1. q. 24. cum communi, textum illum intelligendum esse de casu, quo ob speciale pactum in contractu matrimonii factum, Filii prioris matrimonii præferuntur; qualiter factum legitur cit. lib. 2. tit. 29. vel quando ita habet specialis loci consuetudo.

76 Limitatur autem Conclusio primò in Feudis individuis seu quæ dividi prohibentur; qualia sunt Feuda Regalia, v. g. Marchionatus, Comitatus, Ducatus &c. quæ dividi etiam expressè prohibentur, lib. 2. Feud. tit. 55. §. 1. Præterea, Præterea Ducatus, Marchia, Comitatus de cetero non dividatur. In his enim Feudis solus primogenitus succedit: quod ita verum est, ut, si quis relinquat ex primogenito nepotes, & simul secundogenitum, præferatur secundogenito nepos ex primogenito; prout cum communi aliorum bene docet Fachin. Rosenth. cap. 7. concl. 26. num. 13. Ratio est; tum quia pater & filius naturà una persona intelliguntur, hincque in locum illius jure repræsentationis juxta Jus commune succedit. Tum quia in successione Electorali ita expressè statutum est in Bulla aurea Caroli IV. cap. 7.

77 Limitatur secundò in filiis adoptivis. Nam adoptivus filius in Feudo non succedit, lib. 2. Feud. tit. 26. §. Omnes. Item in illegitimè natis, dicitur enim cit. lib. 2. tit. 26. §. Mulier. *Naturales filii, licet postea fiant legitimi, ad successionem Feudi nec soli, nec cum aliis admittuntur: nisi forsan per sublequens matrimonium legitimentur; hos enim unà cum aliis legitimis æqualiter succedere, communissimè tenent DD. signanter Gailus 2. Observ. 141. n. 2. Mynsinger Cent. 5. Observ. 42. & 52. ubi etiam testatur, hanc esse receptam sententiam in Camera Imperiali. Imò legitimitati etiam per Rescriptum Principis succedere possunt, si Princeps specialiter ad similem successorem eos legitimat, Fachin. lib. 7. cap. 49. Engel h. t. n. 22.*

78 Limitant Conclusionem alii etiam in filiis legitimis juxta exheredatis; sed melius dicitur cum Julio Claro hos à successione Feudi non excludi, nisi per investituram cautum sit, quòd absque hereditate Feudum haberi non possit. Ratio est: tum quia non vi dispositionis testamentariæ, sed vi investituræ filii succedant in Feudo, ut proin in Feudis proprie dictis dispositio ultima defuncti nihil valet: tum quia etiam in aliis, quæ jure singulari ad filium pertinent, filius juxta exheredatus succedit, arg. l. 114. §. 15. ff. de Legatis I.

79 Resp. II. Quamvis regulariter loquendo ascendentes in Feudo non succedant; nihilo minus dan-

tur aliqui casus, in quibus etiam illi ad Feudi successionem admittuntur. Prima pars est communis ac certa, ob clarum Juris dispositionem lib. 2. Feud. tit. 50. ibi: *Successionis Feudi talis est natura, quòd ascendentes non succedant, v. g. pater Filio.*

Secunda pars probatur inductione. Sic enim primò etiam ascendentes succedere possunt, si Feudum est hereditarium lib. 2. tit. 48. Secundò si filius propter merita patris acquisivit Feudum, Corvin. Synop. Jur. Feud. lib. 2. tit. 4. in fin. Engel h. t. n. 26. Tertio si in investitura ita expressè fuerit cautum, arg. lib. 2. tit. 84. Quarto si ita habet consuetudo & statutum loci. Atqui ut Engel loc. cit. Schrad. & alii etiam quintum casum afferunt, si nempe pater filio Feudum renuntiet, & hic ante patrem sine descendentiis moriatur; probare hoc conantur ex lib. 2. tit. 14. & tit. 84. Verùm, ut legenti patet, ex citatis locis sententia horum DD. stabiliri non potest, cum positus contrarium cit. tit. 84. aperte statuat illi verbis: *Si quis filium habens, ipsum per dominum investiri fecerit, ut si filius decesserit ante patrem, quòd Feudum ad patrem revertatur, dicitur defunctio ante patrem filio, patrem carere beneficio, & domino acquiri beneficium.* Quid clarius?

Resp. III. Deficientibus descendentiis, in Feudo antiquo regulariter succedunt collaterales agnati, non item cognati, ita ut proximior semper excludat remotiorem, æquales verò succedant æqualiter in capita; ut proin ante omnes veniant fratres tam consanguinei, id est nati saltem ex uno patre, licet provenientes ex diversa matre, quam Germani, hoc est habentes eundem patrem, eandemque matrem; cum quibus, si ex simili fratre adfuit nepotes, succedunt cum patris suis in stirpem tantùm, omnes simul tantum capientes, quantum pater eorum, quem jure repræsentant, accepisset. Tota Conclusio communis est ac certa ob clarissimas dispositiones in libris Feudalibus contentas.

Præsertim lib. 2. tit. 11. ubi imprimis expressè dicitur: *Ad cognatos beneficium non pertinet, nec beneficii successio.* Ubi ulterius clarè habetur: *Deficientibus descendentiis vocantur primò fratres cum fratribus præmortuorum filii; deinde agnati ulteriores.* Notandum tamen, quòd proximitas attendatur respectu ultimi possessoris, non verò respectu primi acquirentis Feudum, ut proin fratres defuncti vasalli excludat patruum suum, est hic proximior sit primo acquirenti. Engel h. t. n. 28. cum communi aliorum, arg. Feud. lib. 2. tit. 50. ad fin. & lib. 1. tit. 14. Quòd autem fratres consanguinei cum Germanis æqualiter succedant, licet aliàs de Jure communi Novell. 118. c. 3. in allodialibus Germanis defuncti excludat fratrem consanguineum. Ratio est; quia in Feudis penitus nulla habetur ratio matris, seu vinculi materni, ut cum aliis bene observat, & in Camera judicatum testatur Gailus lib. 2. Observ. 151. arg. cit. lib. 2. tit. 11.

Resp. IV. Si nec filii nec fratres defuncti existunt, sed meri fratrum filii, consequenter ex fratribus nepotes, succedunt hi omnes æqualiter in capita, non in stirpes, Clarus §. Feudum. q. 75. n. 2. Mynsinger Cent. 3. Observ. 94. Engel. h. t. n. 28. & communissima aliorum. Ratio est: tum quia in tali casu non succedunt jure repræsentationis, sed quivis jure proprio, arg. Novell. 118. c. 3. tum quia ubi in libris Feudorum specialis constitutio deficit, judicare debemus juxta Jus commune, eod. lib. 2. tit. 1. §. Strenuus. Jure autem communi duorum vel trium fratrum defunctorum filios, si soli sine patruis extant, in capita, & non

in stirpes succedere, constat, ex l. Post consanguineos. 2. §. 2. ff. de suis & legit. hered. & l. 2. §. fin. ff. Si pars heredit. perat. quæ Leges cum nominatim correctæ non sint per Novell. 118. c. 3. merito eisdem adhuc standum erit, arg. l. Præcipimus 32. §. ult. C. de Appellat. Eandem sententiam tenere non tantùm Parliamenta Gallica, sed ea etiam à Carolo V. in Comitibus Spiensibus decisivè promulgata est 1529.

84 Resp. V. Deficientibus etiam Nepotibus ex fratre, succedunt ceteri agnati, non quomodocunque sanguine proximi, sed sanguine proximi ex illa linea, ex qua fuit defunctus, ut proin hi excludant alios quidem æque proximios, vel proximiores, ex alia tamen linea defidentes, ita clarè statuitur lib. 2. Feud. tit. 50. ibi: *Ad quos perveniat (Feudum) queritur? Respondetur, ad solos, & ad omnes, qui ex illa linea sunt, ex qua iste (defunctus) fuit, & hoc est, quòd dicitur, ad proximiores pertinere.*

85 Cæterum successio non tantùm ad descendentes datur in infinitum, lib. 1. Feud. tit. 1. §. 4. in fine: ibi: *In masculis deficientibus novo Jure extenditur in infinitum: sed etiam ad collaterales agnatos, Clar. §. Feudum. q. 79. n. 3. & communis aliorum, arg. lib. 2. Feud. tit. 31. ibi: Et etiam in infinitum. Item tit. 11. & 50. cit. lib. 2. ibi: Ex latere omnes mascululos descendentes usque ad infinitum.*

86 Nec oblat textus lib. 1. Feud. tit. 1. ubi dicitur, quòd tantùm usque ad septimum gradum collaterales succedant. Nam contra est, uti bene advertit Gailus, & Clarus citati, quòd dictus & alii similes textus intelligi debeant, & antiquioribus Feudorum usibus, qui successu temporis fuerit mutati. Hinc teste Zatio, totius Germaniæ consuetudine receptum habetur, quòd etiam collaterales usque in infinitum admittantur.

87 Cæterum quæ huc usque de successione collateralium dicta sunt, intelligi debent de Feudis antiquis; quia in Feudo novo penitus nullus collateralium, sed soli descendentes succedunt, quibus deficientibus Feudum ad dominum redit, quibus clarissimis cit. lib. 1. tit. 1. §. 2. *Si unus ex fratribus Feudum à domino accepit, eo defuncto sine legitimo herede frater ejus in Feudum non succedit.* Concordat tit. 8. 14. & 20. Quid autem sit Feudum novum, quid antiquum, vide supr. n. 12.

88 Quæritur III. An, & quando in Feudis succedant foemina? Resp. I. Regulariter loquendo, foeminae, & descendentes ab eis etiam masculi in Feudis non succedunt. Communis ac certa, textu claro cit. lib. 1. tit. 1. §. 3. ibi: *Hoc autem notandum, quòd licet filie ut masculi patribus succedant, legitibus tamen à successione Feudi remouentur; similiter & earum filii, nisi specialiter dictum fuerit, ut ad eas pertineat.* Et cit. 8. §. Filia. *Filia verò non succedit in Feudo, nisi investitura fuerit facta; ut filii & filiae succedant in Feudo.*

89 Ratio autem, quòd foeminae in Feudis non succedant, multiplex assignatur à DD. Potissimè sunt; quia finis Feudorum est, ut dominus ad sui defensionem devinctum sibi habeat vasallum: item ut conserventur Familiæ: item ut inter pares curiæ resideant, & in causis Feudalibus judicent; quæ omnia foemineo sexui non conveniunt; nam alienam defensionem suscipere munus virile est, l. Alienam. 18. C. de Procur. sicut & judicium sobire, vel judicem esse, Reg. 2. ff. de Reg. Jur. Dein in foeminis Familiæ non conservantur, eùm illæ Familiam viri sequantur.

90 Dicitur regulariter loquendo; quia limitatur Conclusio in Feudis foemineis, id est, primitivè foeminae concessis, vel ubi vi specialis pacti etiam foemi-

nis succedere licet, uti patet partim ex allegatis textibus, partim & quidem specialiter ex lib. 2. Feud. tit. 50. ubi dicitur: *Non succedit filia nisi ex pacto, vel nisi sit foemineum: tunc enim succedit filia patri & matri.* Item ubi consuetudo localis habet aut statutum, quòd foeminae succedant. cit. lib. 2. tit. 1.

Intellige, si nullus masculus extat; enim verò 91 neque in Feudo foemineo succedunt foeminae, quamdiu adhuc superest aliquis masculus; uti communiter advertunt Doctores, & clarè habetur lib. 2. Feud. tit. 30. ibi: *Si femina habens Feudum decesserit, quia foemineum est Feudum, & sine pacto specialiter, deficientibus filiis masculis, ad filias pertinebit.* Idem est de Feudis, in quibus ex speciali pacto succedere possunt foeminae, de quibus lib. 1. Feud. tit. 6. §. 1. ita habetur: *Si quis eo tenore accepit Feudum, ut ejus succedentes masculi, & feminae illud habere possint, relicto masculo, feminae ulterius non admittuntur.* & tit. 8. *Tunc succedit filia, filius non extantibus.* Idem dic de aliis quibuscunque Feudis, in quibus foeminae succedere possunt. arg. cit. lib. 2. tit. 51. §. 3. & tit. 17. Quòd si tamen Feudum perfectè hereditarium est, de eo consilium debet filiae legitima, Fach. lib. 7. cap. 47. & teste Haulnold. DD. omnes. Ratio est; quia ejusmodi Feuda sunt vera pars hereditatis, & tuo modo comparantur allodialibus.

Limitant aliqui Conclusionem secundò, in Feudis emptitiis, Francis, & illis, quæ servitia foeminae non inconvenientia exigunt; in his enim etiam foeminas deficientibus masculis succedere volunt plures, tum quia dum Jura foeminae à Feudis excludunt, de solis Feudis propriis loqui videntur; tum quia in his Feudis ratio foeminae expellendi cessat. Alii econtra id negant docendo, foeminas etiam deficientibus masculis profus in nullo Feudo succedere, nisi sit foemineum, vel ex speciali pacto successio eidem competat, eò quòd Jura foeminae univèrsaliter ab omnibus Feudis excludendo, præfatas duas species præcisè excipiant, lib. 2. Feud. tit. 50. ibi: *Nisi ex pacto, vel nisi sit foemineum; ut proin grandis desuper sit controversia apud Feudistas, prout videre est apud Jul. Clarum §. Feudum. q. 73. Fachin. lib. 7. Controv. 37. & 39. & alios, apud quos videndum.*

Illud tamen pro Bavaria specialiter hic notandum, quòd vi statutorum Bavaricorum in Feudis emptitiis foeminae deficientibus masculis succedere valeant. Tit. 12. a. 8.

Cæterum si foemina Feudum actu acquisivit, non 94 excluditur ab illo per masculum postea primum natum, uti contra Forster. tradit communis, & sequitur Engel h. t. numer. 20. Ratio est; quia jure jam quæstio nemo sine culpa privandus est: & legitime factum retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari. Reg. 73. Jur. in 6. Excipe casum, quo nascitur agnatus, qui, dum foemina accipiebat Feudum, jam jacebat in utero prægnantis Matris suæ; quia qui in utero est, perinde ac si in rebis humanis esset, custoditur, quoties de commodis ipsius partis queritur: quamquam alii, antequam nascatur, nequaquam profici. L. 7. & L. penult. ff. de Statu hominum.

Porrò, an foemina per masculum aliquando excludatur, perpetuò censetur exclusa, ita ut succedere amplius nequeat, licet ille masculus absque hereditibus moriatur, rursus gravissima est controversia inter Doctores. Negativam in favorem foeminarum tenent Mynsinger Cent. 5. Observ. 74. Rosenthal. cap. 7. concl. 44. Ludvel. & novissimè Something in Semicent. Controv. illustr. decade 5. controv. 4. Alii econtra, inter quos est Fachin. lib. 7. cap. 45.